


X

um  
qui  
in  
guerrum  
alle

ut  
in  
ore  
eorum  
om  
ni  
um

ta  
ut  
nomini  
Sanctificationis  
su

splicem  
sunt  
omnes  
ut





ov

Wahl im Abt

10

U. g. 17, 9





EXERCITATIO JURIDICA  
De  
**DAMNO IN COR-  
PORE, SEU RE NOSTRA  
DATO RESARCIENDO;  
ET FINIBUS REGUN-  
DIS.**

*Ad Lib. IX. & Lib. X. Tit. 1. Digestor.*

Quam

D. O. M. A.

P R Æ S I D E N T E

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo & Ex-  
cellentissimo*

**DN. GEORG-ADAMO**

**Struven/** Jcto & Antecessore in Inclyta Salana  
Celeberrimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ  
p. t. Decano, Curia Provincialis & Scabinatus Assessore gravissi-  
mo. Domino Patrono ac Præceptore suo omni honoris & obser-  
vantia cultu ætatem prosequendo,  
colendo.

*Publico LL. Cultorum examini proponit*

**CAROLUS ANDREAS Hoffmann/**

HALLENSIS.

*In Auditorio Jctorum*

*Ad diem Septembris.*

J E N Æ

Typis JOHANNIS NISII, ANNO M. DC. LV.





REVERENDISSIMO SERENISSIMO AC CEL-  
SISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO AUGUSTO, POSTU-  
LATO ADMINISTRATORI ARCHI-  
EPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS,  
PRIMATI GERMANIÆ, DUCI SAXO-  
NIÆ, &c.

à CONSILIIIS SECRETIORIBUS  
VIRIS

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo ac Con-  
sultissimo*

Dn. JOHANNI KRULLEN, Jcto  
Excellentissimo, Consiliario Intimo &  
Vice-Cancellario, &c.  
UT ET

*Generoso ac Magnifico*

Dn. GEBHARDO ab ALVENSLEBEN,  
Hereditario in Newengadterßleben/ Intimæ  
admissionis, ut & SS. Justitiæ Consilia-  
rio &c.

*Dominis Patronis ac Promotoribus suis permagnis, sum-  
mâ animi observantiâ æviternum colendis*

Exercitationem hanc Academicam in  
studiorum suorum promotionem  
juxtaque se totum  
*observanter & humillimè dedicat  
ac offert*

• **Carolus Andreas Hoffmann/**  
Respondens.





**U**T venti naues, sic Favor movet Ingenia.  
Vestro itaq<sup>3</sup> favore, Viri Magnifici, Gene-  
rose, ac Nobilissimi, summâq<sup>3</sup> benevolentia,  
& ego motus, Exercitationem hanc Academi-  
cam publicè defendendam in me suscipere, vestrisq<sup>3</sup>  
praclarissimis nominibus inscribere, ac consecra-  
re, summâq<sup>3</sup> animi submissione offerre volui, de-  
bui. Absterrere me quidem poterant graves &  
maxima, quibus Nobiliss. Vestra Magnific. assi-  
duè detinentur occupationes, quas vel tantillum  
interrumpere, & Vestris Nobiliss. Magnif. salu-  
ti Reip. Patria procuranda, quam maxime inten-  
tis, importunius obstrepere, religio mihi esse de-  
beret. Verùm confirmavit me in hoc proposito,  
quod Vestra Nobiliss. Magnif. non solum antehac  
in Academiis Jurisprudentiam excoluerint, sed  
etiam adhuc dum prænobile Juris studium ma-  
gni aestiment. Efflagitabat etiam summa obser-  
vantia, quâ Nobiliss. Vestris Magnif. obstrictus  
teneor, ut publicum quasi statuerem monumen-  
tum. Serena igitur fronte, favente manus ac men-



te, munusculum hocce chartaceum ut suscipiatis.  
Et benignitatis humanitatisq; vestra fontem ut,  
berrimum, qui nemini haectenus obseratus fuit,  
mibi recludatis, me meaq; studia, qualia qualia  
vobis commendata habeatis, Et qualem Persa-  
rum Reges, in deferendis muneribus, suis exhi-  
buerunt subditis gratiam, talem favorem Et mi-  
hi largiamini, etiam atq; etiam rogo. Deus Ter  
Opt. Max. à quo omnis dependet felicitas, Vos  
vestrasq; Familias Amplissimas felicissimè vale-  
lere, Et diutissime florere faciat, omniaq; mala  
clementissimè avertat. Valet, Domini mei ju-  
giter colendi, Et vivite, Deo, Patria, mihi.

Jenæ è Musæo meo  
ipsis Calendis Septembris,  
Anno 1655.

Vestr. Nobilis. Magnific.  
addictissimo

Carolo Andreæ Hoffmann.



EXERCITATIO DECIMA  
QUARTA

Ad Lib. IX. & Lib. X. Tit. I.

Respond. CAROLO ANDREA Hoffmann/  
Hallâ - Saxone.

Lib. IX. Digestor.

Tit. I.

Si quadrupes Pauperiem fecisse dicatur.

I.



tertium genus caussarum est, quibus agitur de damno aliquo in corpore seu re nostrâ dato resarciendo. Est verò damnum in quadruplici differentiâ: I. datur sine injuriâ facientis, h. e. ab eo, quod facto suo quidem damnum dat, sed ob rationis defectum (*negativum*) injuriâ nequit inferre, nimir. ab animali quadrupede, quod pauperiem facere dicitur. *l. 1. §. 3. h. t. §. 2. f. cod.*

Continuatio.

II. Damna ab animalibus diversimodè dantur: unde diversæ actiones propter ista competunt. Aut enim secundum naturam; aut verò contra naturam nocent. Secundum naturam damnum inferunt depascendo fruges alienas: & in isto naturali omninò conveniunt mansueta & fera animalia: in his verò non potest locum habere actio quædam, nisi sint in dominio, e. g. mansueta si pascantur. *l. 5. §. 5. d. acq. rer. dom.* Hodie cum su-

Actiones ob damna ab animalibus illata diversæ.

Sss

pe-





perioribus jus venandi comperat, merito ii ex æquitate benignos erga subditos, quorum segetes à feris depastæ, se exhibent. Vid. Dn. Thom. *tract. d. nox. animal. c. 1. n. 41. & 49.*

*Actio de  
pastu.*

III. Depascit autem fruges animal in alieno vel ul- tro, sine ullâ domini vel pastoris culpâ, & tunc est specia- lis actio de pastu, quâ dominus animalis convenitur, ut damnum depascendo datum restituat, aut animal noxæ dedat. *l. 14. §. ult. d. præscr. verb. Paul. sent. tit. 15.* Vid. Dn. Joh. Thom. *d. tr. d. nox. animal. c. 16.* Vel culpâ alterius in agrum, pratum vel fruges alienas immittitur & com- petit actio L. Aquiliæ utilis contra eum, cujus culpâ im- missum. *l. ult. C. de L. Aquil. c. 4. de injur. Jung. tit. seq.* Cæ- terum si fruges alienæ in meum fundum deciderint, & eæ ab animali meo depastæ fuerint, datur domino actio in factum s. subsidiaria. *d. l. 14. §. f. d. præscript. verb.* Add. Dn. Thom. *d. tr. c. 16. num. 2.* Æstimatur verò, tum in actione de pastu, tum L. Aquil. seges, si depasta sit, quanti tempore damni dati fuit, habitâ ratione & periculi & speratæ mes- sis. vid. Dn. Thom. *d. c. 16. n. 7.* Dn. Carpzov. *1. c. 27. d. 9. n. 26.* Prætereà aliquando in eum, qui pecora in alienum immisit, datur actio criminalis *l. 2. C. de pasc. publ. L. XI.* Vid. Dn. Thom. *d. tr. c. ult.* Ejusmodi quoque actio in factum, vel, si malis, utilis de pastu, locum habebit, si fru- ges jam reconditæ, *ut si columba in alterius granariis fru- mentum absumerint: eleg. tradente Mart. Uranio tom. 2. conf. 12.* Add. Dn. Thom. *d. c. n. 52.*

*Pignora-  
tio.*

IV. Notandum quoque hic, etiam si jure civili pe- cus in suo agro deprehensum non liceat domino inclu- dere. *l. 39. ad L. Aquil.* Ex generali tamen ferè consuetu- dine



dine Germaniæ, cum primis autem in terris Saxoniam, pignorationes pecudis alienæ permissæ. Vid. Dn. Richter. dec. 5. Dn. Mævius ad Jus Lubec. 3. L. 3. tit. 11. ad rubr. n. 9. & seqq. Dn. Thom. d. tr. c. 23. & seqq. Add. Dissert. nostr. d. vind. priv. thes. 92.

V. Extra partum differunt in damnorum illatione mansueta animalia à feris: His enim naturalis ac genitilis est feritas; illis contra naturam. Dist. tamen etiam circa fera animalia an sint in naturali libertate, & nulla planè potest competere actio: An verò occupata adhuc detineantur, & hæc nocent aut culpâ domini in genere, & datur actio L. Aquiliæ utilis, *quæ etiam locum habebit si male custodita erumpant & damnum dent, licet non amplius sint in dominio*: vel in specie, si ibi habeantur ubi vulgò iter fit, & nocuerint, & datur actio specialis in l. 40. & seqq. d. edil. ed. Add. Dn. Thom. d. tr. c. 18. n. 1. Aut sine culpâ domini, & locus erit actioni utili de pauperie, ut mox dicetur. Præterea contra joculariores & circumforaneos feras secum ducentes, si illæ nocuerint, datur actio, hoc est, accusatio extraordinaria. l. ult. d. extr. crim. cum quâ concurrat actio civilis ad damni æstimationem, ut & aliquando, si liber homo perierit, actio ædilitia in cc. aureos. l. 12. d. edil. ed. Vid. Matthæum comm. d. crimin. in L. 47. Dig. t. 5. c. 4. num. 2.

VI. Contra naturam mansueta animalia feritatem assumunt, & ex eâ damna dant vel (1.) culpâ, etiam levissimâ, alicujus præcedente, & quidem aut tertii aut ipsius domini, & utroque casu cessat actio de pauperie, sed locus est Actioni ex L. Aquilia. l. 1. §. 4. 5. 6. si quadr. paup. Non obst. l. 7. §. 6. d. dol. aut deniq; ipse, qui læsus est, & hic



fibi imputet ipsi *l. 2. §. 1. f. h. t.* Non obst. *l. 1. §. 7. l. b. t.*  
 Vid. Dn. Thom. *d. tr. c. 3. num. 96. & num. 117. & c. 12.*  
 Vel (2.) proprio motu atque ex lascivia, pavore aut feritate; & tunc competit *actio de pauperie.*

Actionis de  
 pauperie  
 descriptio.

VII. Est itaque actio de pauperie, quâ ob damnum à quadrupede, *aliove animali irrationali*, contra naturam generis spontè commoto illatum, convenitur dominus istius animalis, ut aut animal, quod nocuit, dedat, aut æstimationem noxiæ solvat. *l. 1. pr. & §. seqq. h. pr. §. 1. f. eod.*

Fundamen-  
 tum &  
 causa.

IIX. Causa hujus actionis est noxia, quam animal proprio motu per lasciviam, pavorem aut feritatem commisit *l. 1. pr. l. 4. h. t.* seu pauperies, quæ est damnum sine injuriâ facientis datum. *d. l. 1. §. 3. Vid. Dn. Thom. d. tr. c. 2. & 3.* Non igitur hæc actio, (*sicut nec illa, quæ est de pastu*) fundatur in culpâ domini animalis, sed in eo, quod ipsum animal, licèt ratione destituatur, ac sine injuriâ damnum inferat, ex ipsâ re seu damno dato obnoxium fiat, ita, ut inde damnum reparetur læso, aut dominus id, æstimationem damni restituendo, luere, necesse habeat. Quod quamvis ipsum jus naturæ non ita præcisè dictitet: tamen ab eo non est alienum, sed æquitati maximè congruum. Hinc Gabriel Vazquez *opusc. moral. de restit. c. 2. §. 2. dub. 1. n. 5.* dispositionem hanc vocat legem naturalem explicatam per legem humanam, idque eleganter his exponit verbis: *Ratio, inquit, quare Jure Naturali ad id (scil. ad resarciendum damnum ab animali vel servo illatum) teneamur, est; postquam introducta est possessio & rerum divisio, per appropriationem non sublatum jus naturale, quod habeturi-*

*mus.*



nusquisque ad recuperandum damnum, quod passus est ab aliquo sive bruto, sive libero, sive seruo. Unde si passus est damnum ab animali, ipsum animal ipsi manet obnoxium secundum valorem sui, ut inde damnum, quod ab eo passus fuit, repararet; & quia brutum non habet aliunde, quam ex se ipso, ipsum manet obnoxium restitutioni. Et similiter in seruo ipse secundum suam personam obnoxius manet restitutioni, quia persona non libera estimatur pretio, quo reparari potest est damnum illatum: Sequitur ergo quod dominus teneatur ad restitutionem, non ratione sui, neque ratione culpa, sed quia natura sua animal aut seruus suus non est capax obligationis, & sicut quicquid affert utilitatis est domini, ita & damni: unde obligatio illa ad restituendum damnum, cuius non est capax seruus aut animal, est ipsiusmet domini. Hæc ille. Conf. Medin. d. restitut. q. 9. Contra hanc Vazquesii sententiam Ludov. Molina de J. & J. tract. 2. disp. 73. n. 3. Martin. Bonacina Theol. & J. U. D. oper. de mor. theol. tom. 2. tract. de restit. Disp. 1. quest. 3. punct. 8. n. 2. & 3. Joh. de Dicastillo de Just. & Jur. l. 2. tract. 2. disput. 3. dub. 1. afferunt hanc (1.) rationem: quoniam animal vel seruus ante delictum commissum erat domini sui, ac proinde dominus habebat jus in re: ergo stando in solo jure naturali, posterior obligatio, quæ dicitur per noxiam animalis servive oborta, præjudicare non poterit domino suo: & posterior creditor, cui sc. damnum est illatum, habet solum jus ad rem &c. Verum resp. dominus in re propria non potest considerari ut creditor, & seruum non aliter potest habere dominus, quam cum juribus illis, quæ ipsum seruum vel animal necessario sequuntur. add. l. 7. §. 1. verb. onerare. de damn. infect. Porro (2.) opponunt: si dominus tenetur ad restitutionem damni ab animali illati, tenetur etiam ad restitutionem damni ab aliâ re suâ inanimatâ, e. g. per ruinam domus, alteri illati. Sed responsio potest colligi ex d. l. 7. §. 1. 2. l. 6. l. 9. §. 2. & 3. de damn. infect. l. ratis 8. d. in c.



*ruin. naufr. l. 5. §. 4. ad exhib.* Denique (3.) objiciunt: si amens; dormiens, damnum infert, non tenetur restituere. Ast resp. non ita homo liber noxæ subiectus, ut brutum, servusve.

IX. Quamvis autem sec. verba legis duodecim Tabularum, ex quâ hæc actio descendit, actio *directa* competat ob pauperiem à quadrupede, & quidem mansuetâ, contra sui generis naturam, factam *l. 1. pr. §. 4. & §. 10. h.* tamen sec. mentem legis etiam utilis datur (1.) si animal sit bipes *l. pen. h. t.* & (2.) si ferum quidem naturaliter, sed per assuefactionem mansuetum s. cicuratum sit *l. 5. §. 5. d. a. r. d. l. 2. §. f. ad L. Aquil.* modò tales sint bestia, quæ per mansuefactionem qs. feritatem exuant *d. l. 2. §. f.* Ad feras autem, licet in custodiâ retineantur, non rectè applicatur utilis actio de pauperie: quia & verba & mens atque ratio legis, quod sc. animal contra indolem suam, & consuetudinem, noceat, cessat *§. 1. J. h. l. 1. §. 10. eod.* Conf. Dn. Thom. *d. tr. c. 3. nu. 40.* Non obst. (1.) *l. 1. §. 2. verb. omnes quadrupedes.* (2.) *§. 6. ibi: fera. & 7.* (3.) *l. 2. §. 1.* (4.) *l. pen. verb. sed aliud. h. t. (5.) §. fin. J. eod.*

Cui detur.

X. Competit actio de pauperie, tam directa quàm utilis, ei, qui damnum ab animali passus est, seu cuius interest, damnum datum non esse ejusque heredi. *l. 2. pr. §. fin.*

Contra quem.

XI. Convenitur illâ is, qui dominus est animalis, aut pro domino id possidet, tempore institutæ actionis *l. 1. §. 12. h.* Add. Dn. Thom. *c. 6. num. 15.* Cum enim, *sec. rationem th. 8. expositam*, ipsum animal sit obnoxium, ut per illud restitutio damni fiat: ideò non potest non noxa caput sequi ita, ut qui vult animal retinere, satisfacere a-ctori debeat. *d. text.* Unde etiam est, quod contra heredes, non quat. tales, sed eo jure, quo domini sunt, compe-tat.



tat l. 1. §. f. h. t. Et quod, si commune plurium sit animal, adversus singulos dominos in solidum noxalis hæc sit actio. l. 1. §. 14. h. unius tamen solutione cæteri liberantur; & ipse solvens, quod ultra suam præstitit partem à reliquis actione pro socio repetere potest. arg. l. 3. l. 4. de his qui dejec. vel effud.

XII. Datur quoque contra istos, qui (1.) se dominos per mendacium dicunt, ac liti se offerunt l. 7. l. 8. d. interrog. injur. fac. nec non (2.) qui dolo malo desierunt possidere. arg. l. 12. l. 21. l. 24. d. noxal. action.

XIII. Experiri autem potest quis tum demum contra dominum animalis, si animal proprio motu damnum intulerit, uti jam thes. 6. monuimus. Hinc si alia quadrupes aliam concitavit, dominus non concitata, sed concitantis, quippe quæ feritate quadam suâ contra naturam commota pauperiem, licet mediatè, fecit, tenetur. l. 1. §. 9. h. Non obst. (1.) l. f. h. (2.) l. 13. §. 2. de damn. infect. Similiter cum arietes vel boves commisissent, & alter alterum occidisset: siquidem is perisset, qui aggressus erat, cessat actio, quia alter non proprio motu, & contra naturam, sed concitatus ac defensionis gratiâ damnum dedit: sin verò is, qui non provocaverat, occisus læsusve, competit actio. l. 1. §. 11. h.

XIV. Consequimur hac' actione, ut animal noxæ Ad quid, dedatur, aut æstimatio damni præstetur l. 1. pr. l. 1. §. 11. §. 15. h. §. 1. f. d. offic. jud. Quod si liber homo vulneratus fuerit, ratio tantum habetur impensarum in curationem factarum, & operarum amissarum, quasque in posterum amissurus inutilis factus: ipsum autem corpus liberum, ne ob deformitatem quidem, æstimationem recipit.



cipit. l. 3. h. Coler. p. 1. decis. 168. n. 7. Vid. Dn. Thom. d. tr. c. 9. & 10. Sin verò occisus fuerit liber homo, heredem ejus experiri non posse statuimus: per l. 5. §. 5. in fin. de his qui dejec. vel effud. cum Dn. Thom. d. c. 9. n. 19. Cæterum Jure Saxon. noxæ deditio reum non liberat: est tamen ei similis expulsio s. dimissio noxæ, modo ea fiat statim, postquam rescivit dominus nocentis animalis, pauperiem esse factam. LandX. lib. 2. art. 40. Weichbild. art. 121. Id expulsum aut dimissum animal pertinet ad eum, cui damnum illatum vid. Dn. Carpzov. prax. crim. 7. 131. n. 21. Dn. Richter. dec. 5. n. 30. Coler. dec. 167. n. 14. 15. 16. Dn. Thom. d. c. 10. n. 33. & seqq.

Concurfus  
aliarum a-  
ctionum.

XV. Concurrit hæc actio interdum cum actione ædilitiâ pœnali, nimir. si canis ibi habeatur, quâ vulgò iter fit, & damnum inferat §. ult. verb. prætor. & c. f. h. t. Nunquam enim actiones, scil. aliud vel plus continent, præfertim pœnales, sive inter se ex diversis delictis, sive cum actionibus rei persecutoriis, de eadem re concurrentes alia aliam consumit d. §. ult. verb. nunquam. l. nunquam. 130. d. R. f. l. 34. l. pen. d. O. & A. l. 2. §. 1. d. privat. del. l. 54. §. 3. d. furt. Conf. Jac. Gothofred. ad tit. d. Reg. Fur. collat. XI. part. V. reg. 130. Locum autem habet iste concurfus (1.) si nocitum libero homini, quo casu pœna est arbitraria, d. §. ult. h. l. 42. d. ædil. edict. jung. l. 5. §. 5. & fin. de his qui dejec. vel effud. quam licet quis ob delictum, contra prohibitionem edicti canem in tali loco habendo, commissum, d. §. ult. vers. si adversus ea. actione ædilitia conventus præstiterit: tamen adhuc noxa, seu canis quod pauperiem fecit actione de pauperie rectè petitur dd. text. Porro (2.) si in aliis rehus damnum datum:



tum: quo posteriori casu in duplum condemnat iudex reum ex ædilitio edicto *d. §. ult. d. l. 42. in fin.* adeoque si duplum, quod damni æstimationem & pœnam videtur continere, fuerit quis consecutus: non potest denuò noxa, ejusve in locum succedens damni æstimatio, peti. Sin pœnã solùm quis actione ædilitiã exegerit, & ista adhuc, uti priori casu dictum, locum habebit. Quando verò prius actum actione de pauperie: tunc utroque casu locus adhuc erit actioni ædilitiã, ita, ut pœnam eã consequar. *dd. text.*

XVI. Præterea statuitur quoque sec. constit. criminali Caroli pœna extraordinaria, eaque criminalis, *Judicium criminale* in eos, qui animal, quod nocuit, scientes ejus ferocitatem *ob pauperiem.* habuere, & non removerunt. *P. S. D. art. 136. & 150.* Dn. Carpzov. *prax. crimin. part. 3. q. 131. n. 21. 22.*

XVII. Denique addendum, quod, si ante litem contestatam decesserit animal, extincta sit actio *l. 1. §. 13. h.* quia scil. dominus convenitur ob animal, quod habet, *Quando nō locus actio- ni de pauperie.* *juxta rationem thes. 4. expositam:* Nec interesse existimamus an casu an culpa, *etiam latã,* decesserit: quia (1.) nulla lex circa hanc rem inter casum & culpam distinguit; (2.) fundamentum quoque, *uti jam dictum,* hujus actionis instituendæ est, quod quis habeat animal: quæ causa cessat sive casu sive culpã animal ante lit. contest. interierit: *Conf. Exerc. X. th. 59. & XI. th. 27. ac* (3.) solum is, qui *(etiam ante lit. contest.)* dolo fecit, quò minus haberet, adhuc possidere videtur *l. 12. l. 21. pr. d. noxal. act. nec non qui moram fecit in judicio accipiendo l. 26. §. 4. d. nox. action.* Diss. Bernh. Scotan. *exam. Jurid. h. t. p. 304.* At si post litem contestatam domini dolo culpãve animal in-





terierit, in æstimationem noxiæ condemnabitur *arg. l. 1. §. 1. §. 14. & §. 16. h.* Sin ab alio animal occisum, itidem dominus litis æstimationem præstare debet, nisi paratus sit actionem L. Aquiliæ mandare adversus eum, qui occidit *l. 1. §. 16. h.*

## Tit. II.

## Ad Legem Aquiliam.

*Jung. l. 3. t. 35. C. d. Lege Aquiliâ. & l. 5. t. 36. X. de injuriis & damno dato.*

Continu-  
atio.

XIIX. Porrò (II.) damnum injuriâ à libero homine datur: quod vindicatur *Lege Aquiliâ*: quæ plebiscitum est, cum eam Aquilius tribunus plebis à plebe rogaverit *l. 1. h. Add. Exerc. I. th. 63. pag. 36. ad l. 2. §. 8. d. o. f.*

Actio-  
nis ex  
lege A-  
qui-  
liâ defn.

XIX. Actio legis Aquiliæ est, quæ ob damnum, injuriâ à libero homine datû, cõpetit ei, cujus rei nocitum, contra damnum, *etiam levissimâ culpâ*, inferentem non solùm quantum damni dederit, sed ut quanti res (*sec. diversos casus*) vel eo anno vel triginta diebus proximis plurimi fuerit, præstet. *§. 9. 14. f. h. §. 19. f. d. action. l. 2. l. 29. §. f. l. 30. §. 3. h.*

Fundamen-  
tû & causa.

XX. Fundamentum & causa hujus actionis est damnum injuriâ datum, quod est delictum privatum, quo patrimonium seu res aliena dolo aut culpâ deminuitur. *l. 3. d. damn. inf. l. 5. pr. h. pr. f. d. injur. jung. l. 5. §. 5. in fin. d. his qui dejec. vel effud.* Sufficit autem culpâ levissimâ damnum illatum esse *l. in lege. 44. h.* sive committendo sive omittendo commissâ. *l. 8. l. 27. §. si fornicarius. 9. h. vid. Molin. tr. 2. n. 698.* Non obst. *l. 13. §. 2. d. usufr.* Diff. *Zæf. h. n. 7.* modò quis secundùm naturam objecti non excusetur à levissimâ culpâ: uti benè cum Caballin.

*tr. ad.*



tr. de eo quod interest. n. 180. & Covarrav. tom. d. matrim. part. 2. c. 6. §. 8. n. 16. monere videtur Lud. Molina d. J. & J. d. tr. 2. D. 697. n. 8. Qui enim in re, circa quam jus aliquod conventionem ipsi concessum, non tenetur ad exactissimam diligentiam: quomodo damnum injuriâ, committendo culpam levissimam, dedisse poterit dici. Non obst. l. 5. §. f. b. l. 46. pr. loc. Diff. Zœs. h. n. 9.

XXI. Quod si nec dolus nec culpa intervenerit, non intelligitur damnum injuriâ (seu contra jus d. pr. J. d. injur. l. 5. §. 1. h.) datum. Unde ex lege Aquilia non potest agi ob damnum quod I. ab eo fit, cui nihil imputari potest, tum (1.) ob deficientem usum rationis l. 5. §. 2. h. tum (2.) ob accidentem casum fortuitum §. 3. & seqq. J. h. l. 49. §. 1. l. 9. §. f. l. 29. §. 7. l. 4. §. 1. l. 30. §. pen. l. 31. h. Add. Dissert. nostr. d. dol. culp. & cas. th. 65. Fr. Stypmann. d. jur. naut. c. 19. n. 13. & seqq. Et quod (II.) jure permitte fit: aut (1.) ratione officii, sc. à magistratu, non egrediente fines sui muneris l. 29. §. 7. h. aut (2.) ex necessaria justaque defensione, & personæ §. 2. h. l. 45. §. 4. eod. vid. Dissert. nostr. d. vindict. privat. thes. 21. & seqq. & rerum: ut si quis ædes vicini diruat, suas ab incendio servandi causâ l. 49. §. 1. h. l. 3. §. 7. inc. ruin. naufrag. Non obst. l. 7. §. 4. quod vi aut clam. vid. nostr. Dissertat. d. edif. priv. th. 69. Zœs. h. num. 16. Diff. Scot. D. 28. th. 8. it. si quis, quod in suo ab alio ædificatum, destruat l. 29. h. vel aliâs contra vim res tueatur: vid. l. 1. §. 27. 28. l. 3. §. 9. d. vi & vi arm. l. 1. C. und. vi. l. 7. §. 3. quod vi aut clam. Vid. alleg. nostr. Dissert. d. vindict. priv. thes. 32. & seqq. & Exercit. IX. thes. ult. Anton. Matth. d. crimin. ad lib. 47. Dig. tit. 3. c. 1. n. 4. Joh. Grake. d. autor. priv. class. 2. c. 1. & seqq. Aut



(3.) alio quodam casu, quo privata vindicta jure licita *l. l. 30. pr. l. 45. §. 4. l. 5. pr. l. h. vid. dict. Dissert. thes. 30. thes. 41. & seqq. & d. Diss. 9. thes. ult. n. 4.*

Tria capita  
L. Aquil.

XXII. Fuere illius L. Aquiliae tria capita, ex quibus primum & tertium supersunt, & quidem illud est de alieno seruo, quadrupedeve, quæ in pecudum numero est, occisâ. §. 1. *h. t.* hoc verò (1.) de seruo vel pecude vulneratâ (2.) de bestiâ non pecude vulnet. vel occisâ & (3.) de quavis re ustâ, fractâ, scissâ, aliòve modo corruptâ. §. 13. *eod. l. 27. §. 12. l. 40. cum. seqq. eod.*

Actio directa  
cui datur.

XXIII. Ob hæc damna ex verbis legis Aquiliae directa actio datur domino rei ejusvè heredi. *l. 2. pr. l. 11. §. 6. h.* Illi autem, cujus solùm ob jus ad rem ex contractu interest, damnum non esse datum, *e. g. commodatario*, non datur (*ne quidem utilis*) actio ex L. Aquilia: *l. 11. §. 9. h.* unde etiam, si aliquando opus sit, talem ex L. Aquilia agere, dominus hanc actionem ipsi cedere debet. §. 3. *in fin. d. emt. vend. l. 1. §. 16. si quadr. paup.* Fundamentum enim hujus actionis non est quælibet læsio, sed damnum ipsi rei nostræ, (*& quidem in corpus, sive directam sive utilem spectemus*), illatum: *Vid. thes. preced. Diss. Dn. Thom. d. tr. c. 5. n. 9. & seqq.*

Contra quem  
datur.

XXIV. Competit hæc directa actio contra eum, qui damnum corpore in corpus dedit *l. 51. h.* In heredem verò non datur §. 9. *h. l. 23. §. 8. eod.* Si plures damnum dederint, omnes tenentur in solidum, & quod unus poenæ loco præstitit, alterum non relevat. *l. 11. §. 2. h. Add. Bachov. ad Wesf. n. 9. h. Dn. Scotan. d. D. th. 5. Vid. tit. de O. & A.* Sed quid si alius vulneraverit, alius eundem vulneratum occiderit? ille de vulnerato, hic de occiso tene-



tēnetur, et si prior mortiferè vulneraverit, quia non apparet ex primo vulnere hominem mortuum, cum alius postea occiderit. *l. 11. §. 3. h. l. 15. §. 1. eod. Perez. n. 11. Non obst. l. 51. eod. vid. Matthæum laud. tr. in L. 48. Dig. t. 5. c. 3. n. 49.*

XXV. Datur ad præstandam damni æstimationem. Ad quid *l. 21. §. ult. & seqq. h. §. 10. f. eod.* & quidem in primo capite tanti æstimatur res, quanti aliquo tempore anni retrorsum computati; in secundo capite, quanti aliquo dierum triginta proximè elapsarum plurimi fuerit. *l. 2. l. 21. l. 29. §. f.* unde pœnalis non quidem simplex sed mixta dicitur actio. *l. 23. §. 8. h. junct. §. 19. de action. Vid. Bachov. D. 5. d. action. thes. 21.* Ab hac æstimatione recessisse mores hodiernos, & æstimari rem, quanti fuit eo die, quo damnum datum est, tradit Ant. Matthæus *d. l. c. 3. n. 4.* Non autem solùm peremti corporis ratio habenda, sed ex interpretatione (*in ipsâ directâ actione*) extenditur æstimatio hæc ad omne damnum, peremto corpore illatum. *§. 10. h. ubi Bachov. l. 21. §. ult. l. 22. l. 23. l. 29. §. 3. l. 37. §. 1. h. Add. Dn. Thom. c. 12. num. 42. d. tract.* Præterea contra inficentem æstimatio isthæc simpla duplicatur, modò actor petat. *l. 2. §. 1. l. 23. §. 10. h. l. 4. c. eod. Add. Perez. n. 16. Bach. thes. 10. e.* Existimat quidem Molina *d. f. & f. tract. 2. D. 698.* quod ex naturâ rei, atque adeò in conscientia foro, teneatur quis restituere damnum pro culpa saltè quantitate, non semper integrum damnum. Verùm nos nullam hîc inter conscientia & civile forum agnoscimus differentiam.

XXVI. Utilis actio sec. mentem legis competit, Quando  
quando directæ non est locus (i.) ob qualitatem perso- detur uti-  
næ lis actio.





inæ cui damnum datum, nimir. si sit fructuarius aut b. f. possessor. *l. 11. §. 8. 9. 10. l. 12. h. t.* (2.) Propter modum damni dati, sc. non quidem corpore, sed in corpus. *§. ult. h. l. 9. l. 11. §. 1. l. 19. §. pen. eod.* (3.) ob qualitatem rei læsæ, si liber homo, nim. vel liberi nostri vel nosmet ipsi ab alio vulnerati aut occisi, *l. 13. pr. h. t.* Quanquã enim liberum corpus nullam recipiat æstimationem, ac per consequens nec patrimonium deminuat, cum liber occisus aut vulneratus est *l. 5. §. 5. d. his qui dejec. vel effud.* tamen respectu operarum, quibus quis caruit aut cariturus est; item propter impendia incurationem facta, ipsum patrimonium quodammodo diminutum censetur *l. 5. in fin. l. 7. pr. l. 13. pr. l. 23. §. 3. l. 27. §. 17. h. l. ult. d. his qui dejec. vel effud. l. 52. §. 16. pro soc.*

Quando  
subsidiaria.

XXVII. Deficientibus & verbis & mente legis, cum occasionem quis præbuit ita, ut damnum quidem in re nostrâ daret, sed nec corpore nec in corpus, non locus est civili actioni, sed subsidiariæ in factum (*quomodo aliquando & actio civilis utilis nominatur. l. 1. §. 7. si quadr. pauper. l. 9. pr. l. 29. §. pen. h. Bachov. D. 18. th. 10. a.*) à præ-tore ex æquitate introducta. *§. ult. h. l. 49. pr. h. l. 7. §. 3. h. l. 11. d. præscr. verb. Perez num. 14.* Cæterum de actionibus, concurrentibus cum hac ex L. Aquiliã, lege sis Matthæum *d. tract. in L. 47. D. t. 3. c. 2. n. 4. & seqq.* Treutl. & Bachov. *thes. 10. h. vid. tit. d. obl. & action.*

### Tit. III.

#### De his, qui dejecerint vel effuderint.

Continuatio.

XXIIX. Infertur damnum vel à nobis ipsis, & locus est jam expositæ actioni: vel ob damna ab aliis data nos etiam



etiã tenemur, & quidẽ aut (III. vid. th. 1.) ex culpã præsũta, seu, ut ita loquar, imputativã, in quasi delictis, quò pertinet (1.) actio in hos qui dejecerint vel effuderint; & (2.) actio in eos, qui positũ aut suspensum quid habent. *h. t.* aut (IV.) quod in nostro dominio sint damnũ injuriã dantes, unde cõpetunt actiones noxales: *qualis etiam est t. 1. proposita actio de pauperie, quã propter nostra animalia convenimur. l. 1. §. 4. si quadr. pauper.*

XXIX. Actio de dejecto vel effuso est, quæ adversus in habitantem ædes, ex quibus aliquid dejectum vel effusum in eum locum, quo vulgò iter fit, vel in quo consistitur, datur illi, cui nocitum, in duplum damni dati factivẽ; ac si liber homo perierit in quinquaginta aureos; sin verò ei nocitum sit, ad id, quod æquum judici videbitur, *l. 1. pr. h. §. 1. J. d. oblig. quæ ex qs. del. nasc.*

XXX. Fundamentum & causa hujus actionis est *qs. delictum*, quod consistit in eo, quod imputetur inhabitanti, quod ex ædibus, eãve parte ædium, quam inhabitat, aliquid ab iis, quos in ædes ipse recepit, deiciatur vel effundatur in eum locum, quo vulgò iter fit vel in quo consistitur. *l. 1. §. 4. verb. culpa penes eum, scil. qui inhabitavit, est l. 8. §. 2. h. d. §. 1. J. d. oblig. quæ ex qs. del.* Publicè enim utile est, sine metu & periculo per itinera commeari. Parvi autem interesse debet, utrum publicus locus sit, an verò privatus: dummodò per eum vulgò iter fiat: quia iter facientibus prospicitur, non publicis viis studetur: semper enim ea loca, per quæ vulgò iter fieri solet, eandem securitatem habere debent *l. 1. §. 1. 2. h.*

XXXI.



**Ad quid  
datur.**

XXXI. Cum autem damnum, quod ita contingit, sit varium: ideo variat & hæc actio, nec semper ad idem tendit. Vel enim (1.) damnum est datum in rebus æstimabilibus, & in duplum datur iudicium: *l. 1. pr. h.* quo casu mixta videtur hæc actio *arg. §. 19. d. action.* Vel (2.) liber homo perit, & agitur ad pœnam quinquaginta aureorum *d. l. 1. pr. & §. 5. h.* Vel (3.) corpus liberi hominis est læsum, & pœna est arbitraria, & tanti condemnat iudex, quantum ob eam rem æquum ipsi videbitur. *d. l. 1. pr. vers. si vivet. junct. l. 5. §. 5. eod.* Determinat verò istam pœnam iudex computando mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt. Præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est, fit æstimatio. Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem. *l. ult. h.*

**Cui de-  
tur.**

XXXII. Est hæc actio eo casu, quo in rebus æstimatione recipientibus damnum contigit, perpetua, & datur ei, cujus rei damnum illatum, ejusque heredi *l. 5. §. 5. h. junct. l. 35. d. O. & A. & §. 1. f. d. perp. & temp. act.* Quæ autem de eo competit, quod liber periisse dicitur, intra annum duntaxat competit cuilibet de populo: sed heredi similibusque personis seu successoribus non datur: *d. l. 5. §. 5. h.* Nam uti in *d. §. 5.* subjicitur, & pœnalis est, (*indeque duntaxat intra annum eam competere dictum, vid. d. l. 35. d. O. A.*) & popularis: (*ideoque heredibus non ut heredibus, sed ut aliis de populo eam licet experiri*). Dummodò sciamus ex pluribus desiderantibus hanc actionem, ei potissimum dari debere, cujus interest: vel qui ad finitatem cognatione

neve



néve defunctum contingit. *d. text.* Sed si libero nocitum sit, ipsi, qui læsus, perpetua erit actio, cum resp. hujus non sit merè pœnalis, sed contineat persecutionem ejus, quod patrimonio abest *d. l. 35.* Sed si alius de populo velit experiri, (*unde apparet & hoc casu popularem esse istam actionem*) annua erit hæc actio, cum resp. hujus sit merè pœnalis. Heredibus jure hereditario s. ut heredibus nec hæc, quia popularis est, competit: cum damnum, corpori libero illatum, jure hereditario transire ad successores non debeat, quasi non sit damnum pecuniarium, *h. e. propriè & directò patrimonio illatum.* Nam ex bono & æquo oritur: *h. e. judex ex bono & æquo æstimat id, quod occasione istius lesionis ex patrimonio abest, ab futurũ g. est l. ult. h.* Hac *d. l. 5. §. 5. h.* explicatione, ipsi textui exactè congruente penitus perpensâ, advertere est incautè Bachov. *ad Wesenb. h. t. n. 6.* scribere, quòd *J. et us in d. §. 5.* ita ferè disputet, ut incautius aliquantò ante tractata explicare & q. emendare videatur.

XXXIII. Datur itaque contra eum, qui inhabitavit, cum quid deiceretur vel effunderetur, non in dominum: culpa enim penes eum, s. inhabitantem, quod non prospexerit, ne quid à familiâ aliisve quos recepit deiceretur, *§. 9. l. 5. §. 1. 2. 3. h.* Si plures in cœnaculo eodem habitent, unde quid dejectum est, in quemvis hæc actio dabitur, & quidem in solidũ: sed si cum uno fuerit actum, cæteri liberabuntur, præstaturi partem damni societatis judicio vel utili actione ei, qui solvit *l. 1. §. f. l. 2. l. 3. l. 4. h.* quia non tenentur hîc plures, quod plures deliquerint, sed quod ob incertitudinem ex factò alieno culpa præsumatur *l. 2. h. secus ac in actione L. Aquiliæ l. 11. §. 2. tit. præc.* Coeterum

Vuu

rum



Cœterum qui ex hoc qs. delicto ob alienum factum condemnatus est, ipsum dejicientem rursus convenire potest. *l. 5. §. 4. h.* Si verò plures, diviso inter se cœnaculo, habitent, actio in eum solùm datur, qui inhabitat eam partem, unde effusum vel dejectum est *l. 5. pr. h.* Contra patrem, si ex cœnaculo filiifam., seorsim ab ipso habitantis, quid dejectum vel effusum sit, nulla est actio, sed cum ipso filio agendum §. 2. *J. de oblig. quæ ex qs. del. vid. tit. de pecul.*

XXXIV. In heredem non competit hæc actio, quia pœnalis est *l. 5. §. 5. junct. §. f. h. l. 111. de R. J. §. 1. J. de perp. & temp. action.* & licet aliquando pro parte sit rei persecutoria: tamen nihil unquam ex hoc qs. delicto ad heredes pervenit: ideoque & isto respectu contra eos non potest locum habere *l. 35. de O. & A.*

Actio-  
nis  
de posito  
aut suspen-  
so descri-  
ptio.

XXXV. Similis est actio de posito aut suspenso, quæ contra eum, qui positum aut suspensum quid habet supra eum locum, quæ vulgò iter fit, in ve quo consistitur, quod potest, si ceciderit, alicui nocere, competit cuivis de populo ad pœnam decem solidorum. §. 1. *J. d. t. l. 5. §. 6. 11. h. t.*

Fundamen-  
tū & causa.

XXXVI. Fundamentum & causa hujus actionis itidem est qs. delictum, quod committitur omittendo curam, ne quid periculosè in ædibus quas inhabitamus, positum sit, quod in loco, quæ vulgò iter fit, nocere possit. *d. l. 5. §. 7. l. 6. §. 2. h.* Et licet contingere possit, ut ipse dominus vel inquilinus posuerit, tamen id, perinde ut in priori actione hic non attenditur, nec eo resp. quis convenitur neque actor in eo se fundat *l. 5. l. 10. h.*

Cui datur.

XXXVII. Est hæc actio popularis, adeoque datur cuilibet de populo: potissimum verò ei, cujus maxime inters-



interest, ejusque heredi, cujus similiter ut defuncti interest, *d. l. 5. §. ult. h.*

XXXVIII. Competit adversus eos, qui ita periculose <sup>Cōtra quos.</sup> in fuggrundâ protectōve (*vid. Bud. h. p. 435.*) positum habent s. patiuntur; aut non prohibent: sive inquilini fuerint, sive domini ædium, & sive hi inhabitent, sive non, modò in ædibus, *licet eas nemo inhabitet*, quid ita positum habeant. *d. l. 5. §. 11. & 8.* Coercetur autem, qui positum habuit, sive nocuit id, quod positum erat, sive non nocuit, nocere tamen potuit *d. l. 5. §. 11.*

XXXIX. Datur ad pœnam decem solidorum seu <sup>Ad quid.</sup> aureorum *d. l. 5. §. 6. h.*

XL. Præterea si id, quod positum erat, ceciderit & nocuerit, in eum competit actio ex L. Aquiliâ, qui posuit: *l. 5. §. 12. h.* quæ actio non datur contra eum qui habitavit, & ipse non posuit, sed positum tantum habuit, <sup>Quid si quod positum, ceciderit.</sup> ratione cujus ipse ex hoc edicto convenitur *d. l. 5. §. 12. junct. §. 11. in fin.* Non etiam competit hæc actio de suspenso, cum pictor in pergulâ (*vid. Bud. d. l.*) clypeum vel tabulam expositam habuisset, eaque cecidisset, & transeunti damni quid dedisset: Item si amphora ex resticulo suspensa decidisset, & damnum dedisset: sed ad exemplum actionis ex hoc edicto, & quidem ejus parte priori dari oportet actionem *d. l. 5. §. 12. junct. l. 1. §. 3. h.*

XLI. Hodie hujusmodi casibus ad edictum hoc spectantibus agitur in simplum seu ad damni æstimationem: ac pro modo admissi & culpæ pœna est arbitraria. Valer. Andr. Dessel. *in not. ad Zæf. comm. in §. 1. J. de oblig. quæ ex qs. dol. n. 4. & 5.* Regner. *in d. §.* <sup>Hodiernis usus.</sup>



Tit. IV.

De noxalibus actionibus.

Jung. L. 3. tit. 41. C. de noxalibus actionibus

Descriptio  
& funda-  
mentum a-  
ctionum  
noxalium.

XLII. Actiones noxales ex servi delicto non consti-  
tuunt speciem aliquam per se subsistentem cæteris con-  
tradistinctam, sed potius noxalitas est qualitas quædam  
actionibus ex delictis privatis (*non publicis l. 2. C. de accu-  
sat.*) accedens, ita ut sit actio noxalis furti; rapinæ &c,  
Cum enim servus non possit conveniri *l. ult. C. h. t. l. 6. C.  
de judic.* neque bona habeat, unde satisfaciat actori; æ-  
quum visum fuit, ne delictum servi maneret impunitum,  
ut consuleretur ei, cui damnum datum, in dominum da-  
re actionem, ut servum dedat aut litis æstimationem præ-  
stet. §. 1. 2. f. h. t. Conf. Perez. h. t. n. 1. & seqq. Dn. Frantzk.  
h. t. n. 4. & seqq. Add. thes. 8.

Cui dentur.

Cõtra quẽ.

XLIII. Datur igitur hæc actio contra dominum (vel  
etiam adversus tam bonæ quàm m. fidei possessorem *l. 11.  
13. h. t. l. 27. §. f. de r. v.* Non obst. *l. 27. §. f. h. l. 27. §. 2. ad L.  
Aquil.*) servi, qui sine culpâ domini *l. 2. 3. 4. h. t. l. 2. l. 4. C.  
eod. ubi Perez. n. 6. Vid. Zæf. h. n. 11.* damnum delicto  
privato dedit: & quidem post delictum commissum alic-  
nato servo novus dominus (*non tamen à domino ipso cui  
fortè damnum dedit l. 1. C. h. t. l. ult. C. an serv. ex suo fact.  
Perez. num. 7.*) convenitur: noxa enim caput servi se-  
quitur §. 5. h. l. 20. l. 37. l. pen. D. eod. quia obligatio ex de-  
licto semel contracta inhæret servo, atque ita una cum  
servo transfertur ad dominum. *l. 7. pr. h. add. l. 1. §. 1. de  
ad. edict.* Datur etiam contra eum, qui dolo malo fecit,  
quò minus haberet servum in potestate *l. 21. pr. h. vid. l.  
24. l. 25. l. 26. h.*

XLIII.



XLIV. Movenda est hæc actio alternativè, & ita ferenda sententia, nim. ut aut noxæ servum dedat dominus, aut litis æstimationem solvat *l. 1. h. t. §. 1. de off. jud. l. 6. §. 1. de re jud.* Sin verò post latam sententiam non noxæ dedat, & expectet actionem judicati, litemque in hæc contestetur, tunc omnino litis æstimationem præstare tenetur *l. 20. §. 5. de pet. hered. Bachov. not. ad Wes. n. 3. h. t.*

XLV. Quod si servus noxæ h. e. pro maleficio in locum pœnæ, seu reparationis damni, sit deditus, & ipse quæsitâ deinde pecuniâ damnum refarcire & se quasi ipsum luere possit, invito etiam domino auxilio Prætoris est manumittendus *§. 3. d. nox. action. l. 4. §. 1. d. manumiss.*

XLVI. Procedunt dicta I. si vel ignorante domino, vel sciente quidem, at prohibere non volente servus nocuit: aliàs, si jubente domino; vel non prohibente, cum prohibere posset & deberet, in solidum tenetur dominus *vid. l. 2. 3. 4. pr. & §§. seqq. h.* II. si servus alteri non ipsi domino suo nocuit: nam si suo damnum intulerit domino, actio nulla est, *§. 1. 7. h.* imò quæ ab initio erat, cum adhuc esset servus alienus, intercidit, quando in hujus, cui nocitum, venit potestatem *l. 17. l. 18. d. furt. l. 16. ad L. Aquil.* III. si servus intereà, anteq. agatur haud sit manumissus: manumissione enim extinguitur noxalis actio: competit autem adversus manumissum directa ex delicto *l. 1. 2. 4. C. ne serv. pro suo fact. §. 5. J. h.* Add. Dn. Frantzk. *h. n. 11. Bachov. de action. disp. 8. th. 18.* Prætereà si servum pro derelicto habeam, liberor actione *l. 38. §. 1. h.* sed & mortuo servo antè, quàm accipiatur judicium, omnino hæc actione non tenebitur dominus *l. 39. §. f. h.*

Vuu 3

XLVI.





Hodiernus  
usus.

XLVII. Moribus hodiernis actionis huius nullus est usus, propterea quod servi non existunt, sed hominum liberorum operam ad ministerium nostrum utamur, qui ipsi ex delictis suis conveniuntur, nec noxæ deduntur: neque dominus de eorum facto regulariter tenetur, nisi sit quod ei imputetur; vel nisi iusserit. Add. Valer. Andr. Dessel. *addit. ad Zæf. comm. in J. h. t. n. 4.* Aliquando & dominus ratione mercedis, ministro quam debet, damnum refarcire tenetur *Land R. L. 2. art. 23. Coler. dec. 208. num. 3. Schultz. h. lit. a.*

## Lib. X.

### Tit. I.

#### *Finium regundorum.*

*Jung. L. 3. t. 39. C. finium regundorum.*

Continu-  
atio.

XLVIII. Quartum genus controversiarum s. actionum civilium descendit ex rei ipsius naturâ, quâ ita exigente lex citra ullum proprium contractum, aut delictum actionem producit. Hujus generis sunt, (1.) confinium unde venit actio finium regundorum. (2.) communio; & (3.) detentio rei, quam exhiberi alteri interest.

Actionis fi-  
nium regū-  
dorū defin.

XLIX. Finium regundorum actio est, quæ datur inter eos, qui confines habent agros, ut fines ritè discernantur, & declarentur, atque quod interest alterius, fines confusos non fuisse, præstetur *l. 1. l. 4. §. 1. l. 8. h. §. quædam. 20. J. de action.*

Causa &  
fundamen-  
tum.

L. Fundamentum & causa hujus actionis est tum dominiū s. jus in re *l. 8. pr. verb. domino suum restitui. l. 1. l. 4. §. 5. & 9. l. 12. h. §. 20. J. d. action.* tum jus ad rem, seu quædam obligatio, descendens ex qs. contractu, qui  
con-



constitit in eo, quod possessores agrorum incidant in confinium, & non tam consensu quam re confines fiant: indeque, si res ita exigat, fines quâ potest ratione dirimantur admittere tenantur, *l. 2. h.* ac si fines cōfundantur alter alteri tacitè qs. ejus, quod inter est præstationē promittere censeatur. Quod ita se habet, si casu, ut irruptione fluminis, vel errore fines agri confusi, *l. 8. pr. h.* At si dolosè termini à confine dejecti vel exarati, ex delicto venit illa obligatio, ac ratione ejus præter criminale judicium, datur hæc civilis & rei persecutoria actio *l. 4. §. 4. h. l. si constiterit. 4. C. eod. §. pen. verb. circa fines aliquid malitiosè commisit.* Bald. *ad l. f. C. h. n. 5. 6.* Perez. *in C. h. n. 2.* Casp. Manz. *ration. ad tit. de action. §. 10. n. 9.*

LI. Atque ob hoc duplex fundamentum, junctam *Est mixta* sc. cum dominio obligationem (*sive ex qs. contractu sive actio. ex delicto orientem*) dicitur mixta *d. §. 20. 7. de action. h. e.* & personalis *l. 1. §. 1. C. de annal. exc. l. 1. h.* & realis *d. l. 1. l. 8. pr. l. 12. l. 4. pr. & §. 2. h. l. 1. l. 3. C. eod.* Aliquando tamen contingere potest, ut hæc actio solùm sit in rem: si nimirum confinis neque damnum intulerit finibus, neque fructus aliudve lucrum perceperit; & vice versâ ut sit tantùm in personam, seu finibus jam discretis tantum detur ob præstationes personales. *arg. l. 6. §. 1. l. 11. l. 14. §. 1. comm. div.*

LII. Datur igitur illis, qui prædia confinia (*qua* Quibus datur. *lia solent esse rustica, agri scilicet; Urbana enim ut sunt ædificia, quia parietibus distincta, non sunt confinia: in quo conveniunt cum ædificiis rusticis; sicuti aliquando horti cum fundis rusticis* *l. 4. §. ult. h. t.)* habent. *v. l. 4. §. 10. 11. l. 5. l. 6. h. Dn. Frantzk. h. t. n. 13. & seqq. Henn. Hammel. de action.*



*Etion. c. 52. n. 14. & seqq. ubi etiam ad fines jurisdictionum aliorumve jurium hanc actionem accommodat. Non solum autem dominis, sed etiam fructuariis; & jure pignoris seu alio jure in re fundos possidentibus competit l. 4. §. 9. h. t. c. 3. de probat. Add. Henn. Hammel. de action. c. 52. n. 6. 7. Bachov. th. 8. 1. Inter socios verò cessat hæc actio l. 4. §. 6. & 7. h. t. Non obst. l. 27. de S. U. P. l. 14. §. 1. si serv. vind. l. 6. §. 2. 3. l. 11. §. 5. d. q. & aq. pluv. noc. Conf. Cujac. 22. o. 38.*

*Cōtra quos.*

LIII. Datur hæc actio contra eos invicem, qui fines agrorum suorum confusos l. 8. pr. l. 2. §. 1. l. 11. §. f. de Jurisd. h. t. vel etiam istos malitiosè turbatos, tenent. §. pen. J. de inoff. jud. Contra tertium verò non vicinum, sc. qui fines, limites ejiciendo, turbavit, hæc actio non datur, sed accusatio criminalis l. 1. l. 2. de term. mot. Henn. Ham. d. l. n. 9. quæ, ut & conditio ex l. si constiterit. 4. C. h. t. datur quoque contra confinem dolosè terminos moventem l. 4. §. 4. h. Vid. Oeting. & Canz. d. tr. c. 8. & 9.

*Est duplex  
judicium.*

LIV. Apparet hinc duplex esse hoc judicium, quod uterque confinium & actoris & rei partis sustineat, l. 15. §. 1. de proc. & uterque suos, quos prætendit, fines probare teneatur l. 10. h. t. Add. Hieron. de Monte d. fin. reg. c. 48. Hammel. d. l. n. 28. Perez. h. t. n. 3. Oetinger. de jur. limit. ac fin. regund. l. 2. c. 8. Si tamen provocatus ad judicium, (qui pro reo, sicut is, qui prius provocavit, pro actore habetur l. 13. de judic. l. 2. §. 1. comm. div. quod si ambo provocaverint sorte res discerni solet. l. 14. de judic.) nihil contra petit, sed tantum petita per actorem negat, hic nihil tenebitur probare. Mont. d. c. n. 5.

*Probatio  
finium.*

LV. Probantur verò fines I. per terminos, seu limites, (*Untermarkung*) quibus certis signis, ut fossis, *Feldgrän*



gräben/ arboribus Lagbäumen/ lapidibus finalibus Grenz  
 oder Marksteinen / fines designantur: de quibus lege sis  
 Montan. *in fin. reg. c. 19. n. 3.* Mascard. *de probat. concl.*  
*399.* Joh. Oeting. *d. tract. l. 1. c. 17. cum seqq. & l. 2. c. 5.*  
 Atque hi limites benè per mensores & alios earum rerum  
 peritos, à iudice missos, utrâque litigantium parte citatâ  
 considerandi, & oculis sub jiciendi *l. 8. §. 1. h. l. 3. C. h. c. 6.*  
*quest. 3. XVI.* atque ut iudici rectiùs repræsentiari pos-  
 sint, ichnographia (ein Abris) confici solet. Vid. *Id. d. l.*  
*2. c. 6.* II. per instrumenta, & libros antiquos. *l. 11. h.*  
*junct. l. 4. de censib. c. 13 de probat. c. 29. de censib.* Vid. Ma-  
 scard. *conc. 393. & 394.* Montan. *d. tr. c. 60.* III. Per te-  
 stes *d. c. 13. de probat.* Vid. Montan. *d. tract. c. 49. & seqq.*  
 Mascard. *d. concl. & seqq.*

LVI. Vindicamus hâc actione fines rei, ad nos ex jure in Ad quid.  
 re pertinentis, & agimus, ut fines regantur, h. e. ad suam  
 nomam & certitudinem redigantur; & quod intra fines  
 quisq; habet, retineat; si quid amplius quis habeat, id cõfi-  
 ni restituatur, seu ut portio confusione occupata discer-  
 natur, & nostra esse declaretur; *l. 4. pr. l. 7. l. 8. h. l. 3. Cod.*  
*eod.* atque simul petimus, ut interesse præstetur ob fines  
 latiùs habitos *l. 4. §. 1. h.* Interdum quoque, si fines com-  
 modè dirigi nequeunt vel propter loci inæqualitatem, vel  
 propter veterum limitum incertitudinem, permittitur  
 iudici aliis finibus evidentioribus agros distinguere: quo  
 casu quia necesse est partem aliquam ex unius agro detra-  
 hi, & alterius agri domino adjici, ideò facit hoc per adju-  
 dicationem & condemnationem *l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. h. §. f.*  
*de off. jud.*

LVII. Fines sec. L. XII. Tabb. ita distinguebantur Explicatio  
 XXX l. quinq;  
 ut pedū. C. b.



ut in confinio interstitium seu spatium quinque pedum  
 sec. latitudinē, quod usucapi non poterat, constitueretur,  
 uti ex Cicerone *Lib. I. de LL.* constat *conf. l. ult. h.* De hoc  
 spatio esset si esset controversia, finium regundorum ju-  
 dicio locus erat: si ultra istos quinque pedes litigabatur,  
 de ipsius loci (*ultra sc. fines, quippe ad quinque pedes determi-*  
*natos*) seu agri & fundi proprietate agebatur. Vid. Jul.  
 Frontin. *de limitib. tit. de controu.* Postea verò Impp.  
 Valent. Theodos. & Arcadius hanc eā de re promulgā-  
 runt constitutionem: *Quinque pedum prescriptione submo-*  
*tā, finalis iurgii vel locorum libera peragatur intentio. l. pen.*  
*C. h. t.* Quæ integra in Codice Theodosiano, ex quo trans-  
 sumpta, ita exstat: *Quinque pedum prescriptione summotā, fi-*  
*nalis iurgii vel locorum libera peragatur intentio, sola sit igi-*  
*tur huiusmodi legibus una prescriptio, quæ improbi petitoris*  
*refrenare possit invidiam, si veteribus finem cum signis limes*  
*inclusus congruum eruditā arte præstiterit. Nec verò pro-*  
*lixioris temporis in huiusmodi locum habebit ulla prescriptio,*  
*cum diuturno otio alienum rus quisq; asserat se diligentius co-*  
*luisse, quando omne huiusmodi iurgium solo præcipimus jure*  
*discingi, quo artis huius peritis omne commisimus sub fideli*  
*arbitratione iudicium.* Huius constitutionis variæ sunt  
 explicationes, uti videre licet apud Giphan. *in h. l. An-*  
*ton. Augustin. de Legib. voc. Maxilia pag. 107. & cap. de L.*  
*XII. Tabb. pag. 171. Pancirol. 2. var. lectio. 2. c. 197. Zoef.*  
*comm. h. t. n. fin. Dn. Frantzk. comm. ad h. t.* Plerique eam  
 sequuntur sententiam, quā voce: *prescriptionis:* dicitur si-  
 gnificari *exceptio,* juxta *l. 29. pr. de exc. rei judic. l. 91. de so-*  
*lut. l. 9. pr. de transact. l. pen. C. de pact. l. 2. C. de precib. imp.*  
*offer. rubr. & l. 8. C. de except. & prescript.* ita, ut sensus sit:

non



non licet amplius confini opponere exceptionem, quod lis sit non de confinio, in quinq<sup>3</sup> pedum spatio consistente, eaq<sup>3</sup> excludere actionem finium regundorum: sed liberè, absque distinctione finalis iurgii, (restricti ad illos quinque pedes,) & locorum ultra quinque pedes, h. e. quantumcunque fuerit spatium, de quo inter confines finium causâ lis est, agi potest. Possent etiam commodissimè & simplicissimè per prescriptionem intelligi præfinitio s. determinatio spatii quinque pedum, quod scilicet ista præfinitio sit sublata, & quis liberè etiam de ulteriori spatio actione finium regundorum agere queat: quæ interpretatio non solum ipsi nativæ vocis indoli, sed quam *fines præscribere* dicimus, congruit: sed etiam non obscurè suppeditatur verbis in Codic. Theodos. sequentibus, quibus additur, quod sola sit ea præscriptio s. determinatio finium, si veteribus cum signis limites inclusus finem congruum eruditâ agrimenso- rum arte præstiterit. Nec quicquam absurdi est, quod versic. subsequ. *nec verò: aliter præscriptio accipiatur.* Conf. *l. fin. C. Theodos. fin. regundor. verb. spatio quinque pedum, qui veteri jure præscripti sunt.*

LIIIX. Interesse, de quo *th. 56.* dictū, consistit in damni in finibus sive dolo sive culpâ latâ & levâ dati reparatione §. *4. de offic. jud. gl. ad l. 4. §. 2. h.* & cujuslibet perceptæ utilitatis restitutione *l. 4. §. 1. h.* Veniunt itaque & fructus in hoc iudicio: circa quos perinde ut in rei vindicatione distinguitur, ita, ut, ante litem quidem contestatam, fructus tam naturales quàm industriales, (*quoad hos diss. Oetting. d. l. 2. c. 8. nu. 16.*) is, qui b. f. eos percepit & consumsit, lucretur, ac solos exstantes restituat; qui malâ fide percepit, non tantum exstantes reddere tenetur, sed &

Quid de fructibus dicendum.



consumti condici hâc ipsâ actione possunt. Post litem autem contestatam qui sunt percepti fructûs, ad omnium sive extant sive consumti sint, restitutionem condemnat iudex *l. 4. §. 2. h. add. Exerc. XI. th. 18. & seqq.*

LIX. Cæterum ad quæstionem finium dirimendam dati L. XII. Tab. tres arbitri, quem numerum Lex Manilia ad unitatem contraxit: Cic. *lib. 1. de LL. conf. l. 8. h. l. 44. de rec. arbitr.* Cujac. *s. o. 21.* Cujusmodi arbitros de quinque pedum spatio judicare Imp. quoque Theodos. Arcad. & Honorius jusserunt *in l. fin. C. Theodos. h. r.* Similiter & hodie constituti esse solent certi arbitri ac agrimensores (*Untergänger/Steinseher*) per quorum arbitramentum controversiæ inter confines componuntur. Vid. Rut. Ruland. *de commissar. part. 1. l. 4. c. 5. & c. 20. n. 4. Oeting. d. l. 2. c. 5. & 6.*

Præscriptio  
hujus actionis.

LX. Præscribitur huic actioni longissimo tempore, factâ computatione à die, quo fines confusi *l. ult. C. h. t. Sichard. in d. l. f. Mont. d. tr. c. 74. n. 2. Perez. h. n. 7.* cum enim hæc actio non solum in rem sit, sed & in personam: ideò non potest longo tempore, quò aliàs actionibus simplicibus in rem præscribitur, finiri. *Conf. l. 7. C. de petit. hered. l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 1. §. 1. C. de annal. exc. Sichard. d. l.* Non obst. (1.) *l. pen. C. h. vid. thes. 55.* (2.) *l. f. C. de fund. limit.* (3.) *l. 7. §. 6. pro emptor.* (4.) *l. 7. §. 1. eod.* Vid. Bachov. *D. 19. thes. 8. lit. c. d. conf. l. 11. & 12. h.*







*Viro Juveni & genere & virtute Conspicuo,  
amico meo Carissimo.*

**O** Mine felici nomen sortitus ab aula,  
Quod nitido legū studio exornare laboras.  
Ergò tuo nomen factò respondet honesto.  
Hæc Te olim faciet præclara scientia patrem  
Principibus, placidosq; dabit Tibi Sceptra tenētes.  
Scrutari ut pergas sinuosa volumina Juris,  
Atq; gradum, voveo, sumum cum laude reportes!

*Christoph Philip Richter D. Com. P. C.  
Prof. P. & Fac. Jur. Senior.*

---

**E** Xseris ingenii dotes: sacra jura recondis  
menti: sic Patri dulce levamen eris.

Eximio Dn. Hoffmanno amico suo percaro  
gratulaturus exarabat

*PRÆSES.*

---

**F** Allor? An Themis verendos virgo jam pandit lares,  
Cæsarumque jura, voces purpuratas expedit?  
Et minas Orbis paratas varicantis ausibus?  
Arte tantâ, Hoffmannè, vectus, celsius Deum thronos,  
Atque laudum summitates, dissitas procul domos  
Murciâ, somnoq; scandis. Subtrahes mox integræ  
Floridos ætatis annos pulpitis scholasticis:  
Jamque rostris, jamque reddes jus suum clientibus.

*Ipsa*





Ipsa sic tecum virefcet gloria ampla patriæ,  
Et tuas laudes tuorum junget olim commodis.

*Per - Eximio atque politiffimo Dn. Respondenti,  
hospiti & amico suo, animitus dilecto deproperat*

Johann Strauch, D.

*Ad Per-Eximium & clarè doctum*

DN. CAROLUM ANDREAM HOFFMANNUM,  
Amicum & Civem suum nobilem,

**N**on mihi nobilitas, mihi nulla talenta probantur,  
*Artibus ingenuis mens mala quando vacat.*

*Cedite divitiæ, superisque parentibus orti*

*Cedite, mentis opes Civilitasque placent.*

*Hæc ritè observans HOFFMANNUS, Juridicanæ  
Tempora sacravit. Pagina docta probat.*

*Auguror, ipsa Themis jam talia spondet amico*

*Qualia Consulti ferre brabæa solent.*

*Votivâ manu scribb.*

*M. Andreas Christophorus Schubartus.*

**H**OFFMANNUM cernis, quàm doctè ænigmata legum  
Solvat, non cuivis expedienda viro?

Hoc opus, hic labor est! pauci quos æquus amavit

Juppiter, hoc tantâ dexteritate queunt.

*Macte tua virtute, viam decurrere cæptam*

*Pergito; sic patris te quoque fama manet.*

*Hæc testem benevolentia σισίτω  
suo exhibet*

Justus Bötticher/ Wolfferb.





94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974



sb.


7360





**A** **F** **o** **r** **i** **t** **e** **s** **e** **t** **o** **m** **n** **i** **a** **q** **u** **e** **m** **o**  
**h** **u** **m** **a** **n** **i** **d** **i** **c** **t** **e** **s** **e** **t** **a** **l** **l** **e** **g** **i** **a** **s** **e** **m** **e** **n** **t**





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

IO JURIDICA  
 De  
**IN COR-**  
**RE NOSTRA**  
**ARCIENDO;**  
**US REGUN-**  
**DIS.**  
*ib. X. Tit. 1. Digestor.*  
 quam  
 . M. A.  
 I D E N T E  
 R O  
*simo, Consultissimo & Ex-*  
*ntissimo*  
**G - ADAMO**  
 ecessore in Incllyta Salana  
 Saxonico, Facultatis Juridicæ  
 is & Scabinatus Assessore gravissi-  
 ceptore suo omni honoris & obser-  
 atem prosequendo,  
 lendo.  
*rum examini proponit*  
**DREAS Hoffmann/**  
 LENSIS.  
*orio fctorum*  
 Septembris.  
 N Æ  
 SII, ANNO M. DC. LV.